

Sed et Averrois formaticem hanc vim ac rationem 12. Metaphysicae commentario 18. et agnoscit et fatetur. Sane vis haec in semine ab anima eius, qui id semen proiecit, pendet, docente hoc ipsum Aristotele libro De animalium generatione 2. capite 3:<sup>30</sup> *Omnium enim in semine inest id, quod facit foecunda semina, quod vocatur calidum.* Hoc autem non sine anima inesse docuerat libro de Respiratione capite 8:<sup>31</sup> *Neque enim concoctio per quam nutritio fit in animalibus absque anima et absque caliditate, igne enim efficiuntur omnia.* Et quia caliditatem hanc hoc loco ignem videbatur vocasse, subnectit priori illo loco veluti corrigens:<sup>32</sup> *Hoc vero non ignis neque talis potentia est (combustiva scilicet et destructiva qualis ignis est), sed qui comprehensus est in semine ac in spumoso spiritu.* Spiritus autem hic naturam quandam in se habet, analogam stellarum elemento, sic enim statim infert:<sup>33</sup> *Et ea, quae in semine natura analoga existens astrorum elemento, id est coelo.*

Qualis autem sit haec natura, mox declarat cum ait:<sup>34</sup> *Solis vero caliditas (quod prius elementum stellarum dixerat) et animalium, non solum per semen, sed etiam aliquod excrementum fuerit naturae aliud, attamen habet ut hoc vitale principium.* Quibus verbis 20 animalium calorem, qui idem sit cum caelesti, principium vitae esse, non solum in semine et quavis parte principali, sed etiam naturae exrementis, excrements quoque dum in animali sunt vitam habent, quod molae et vermes indicant.

<sup>30</sup> πάντων {μὲν} γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον θερμόν. [ARIST. GA 736b.33 – 35]

<sup>31</sup> οὐδὲ γὰρ ἡ πέψις, δι' ἣς ἡ τροφὴ γίνεται τοῖς ζώοις, οὔτε ἄνευ ψυχῆς οὔτε ἄνευ θερμότητός ἐστιν, πυρὶ γὰρ ἐργάζεται πάντα. [ARIST. Resp. 474a.26 – 28]

<sup>32</sup> τοῦτο δ' οὐ πῦρ οὐδὲ τοιαύτη δύναμις ἐστιν ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι καὶ ἐν τῷ ἀφρόδει πνεῦμα. [ARIST. GA 736b.35 – 37]

<sup>33</sup> καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις, ἀνάλογον [ἀνάλογος] οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. [ARIST. GA 736b.37 – 737a.1]

<sup>34</sup> ἡ δὲ τοῦ ἡλίου θερμότης καὶ ἡ τῶν ζώων, οὐ μόνον {ἡ} διὰ τοῦ σπέρματος, ἀλλὰ καν [καν] τι περιττωμα τύχῃ τῆς φύσεως ὃν ἔτερον, ὅμως ἔχει καὶ τοῦτο ζωτικήν [corr. ex ζωτηκήν] ἀρχήν. [ARIST. GA 737a.3 – 5]